



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xxiiij. De Ijs, qui sunt in minoribus ordinib. constituti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

DE IIS, QUI SVNT  
in minoribus ordinibus  
constituti,

## TITVLVS XXIII.

Minores ordines sunt acolytatus, exorcistatus, lectoratus, et ostiariatus. h. d.

Vnt igitur in Ecclesia alij minores ordines, qui sine sacramentali vnctione, sola Episcopi benedictione, cum quadam vasorum, vel indumentorum distributione, praestantur: vt sunt, Acolytus, Exorcista, Lector, Ostiarius. Acolytus est is, ad quem praeparatio luminum, & qui cereum (a quo nomen quoque ducit) deferre debet, qui que suggesta pro Eucharistia subdiaconis praeparat. Exorcista est is, qui exorcismos memoriter retinere debet, manusque super egergumenos, & catechumenos in exorcizando imponere. Lector autem is appellatur, qui lectiones debet pronunciare, & ea, quae Prophetarum vaticinatio sunt, populis praedicare. Ad Ostiarium pertinet clauis Ecclesiae, vt claudat & aperiat templum Dei, & omnia quae sunt intus extraque, custodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles prouido iudicio repellat.

*Psalmistatus est minor ordo, et potest conferri a solo presbytero. h. d.*

Est & Psalmista, id est, Cantor, qui absque scientia Episcopi, presbytero solum iubente, officium suscipit cantandi: qui &

ipse, licet apud antiquos dubitatum fuerit, inter minores ordines coeptus est annumerari. f.

Constituti in maioribus ordinibus nullo pacto matrimonium contrahere possunt, sed constituti in minoribus possunt: sed si contrahant, priuantur beneficijs et dignitatibus Ecclesiasticis. h. d.

Horum autem & sacrorum valde dispar est conditio: siquidem illis ita est continentia imperata, vt nunquam ad matrimonium aspirare valeant: his autem, si ad superiores ordines perueni noluerint, matrimonium contrahere minime interdicitur: sed eo casu non solum ad sacros ordines, & Ecclesiasticas dignitates, & administrationes admittendi non sunt: sed etiam beneficijs, quaecumque forte habuerint, priuandi erunt: nam nec ea sine prauo exemplo possunt & graui scandalo retinere: & tales bona Ecclesiastica dilapidare solent. Hucusque singulariter tam de maioribus ordinibus, quam de minoribus breuiter tractatum fuit: exponamus nunc aliqua, quae tam maiorum ordinum, quam minorum, sunt communia.

COMMVNIA TAM MAIORUM, QUAM MINORUM  
ORDINUM,

## TITVLVS XXIIII.

Minores debent maioribus exhibere reuerentiam, maiores uero minoribus amorem & charitatem. h. d.

f glo. in uer.  
Psalmista.  
can. 1. 2. 1. di  
stin. et can.  
1. uer. ad  
Psalmista.  
25. dist.

g dist. 26. et  
32. per totum.

h cap. 1. cap.  
quod ad. et  
cap. diuersis.  
extra. de cleri. con  
iuga.  
i cap. cum de  
coram. ext.  
de cleri. con  
iuga.

a can. 1. 9. ad  
acolytum. di  
stin. 25.

b d. can. 1. 6.  
ad exorcistam.

c d. can. 1. 6.  
ad lectorem.

d d. can. 1. 6.  
ad ostiarium.

e can. Psalmi  
sta. dist. 23.